



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXIX. Officinam vnguentariam Amor instituit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Rursus at umbroso palles ceu Cynthia vultu,
 Quam propior rapidis torret Eois equis:
 Nescia nam tangis, nec conscia tangis IESVM,
 Et paris hinc noctem, dux iubar vnde legas:
 Vitalesque tui Solis redeuntis ad ignes
 Luna files. heu! te mortis eclipsis habet.

L X X V I I I.

*Violas sub Cruce legens MAGDALE-
 NA ab spinâ vulneratur.*

MAGDALIS infestis circum vallata sarissis,
 Mors ubi ferali sub trabe dira sedet,
 Carpebat violas, quas Martius educat annus;
 Carpentem violas improba spina ferit:
 (Hæc Crucis exciderat spinosâ fortè coronâ:)
 Magdalis exclamat faucibus, clamat amans:
 Sentio dulce mei pignus dotale doloris,
 Spinigerâ è siluâ quod mihi misit Amor.
 Omen ab euentu: blando cruor emicat ictu;
 Cumque cruore, pari lacryma rore fluit.
 Opto, simul voueo, mihi dos comes omnibus
 horis
 Sit pia spina; meus iam rosa sanguis erit.

L X X I X.

*Officinam unguentariam Amor
 instituit.*

HIRSVTVM malè culta caput, malè compta
 capillos,
 Quò quæso proripis gradum, Pra-

Præcipitiq̃ue ruis cursu per deuia rerum?

Ad nundinas, ad nundinas?

Et quasnam? ambitio tibi an empturit aurea
gemmas,

Siue annulos cum torquibus?

Anne foro Cyprio speculum & cum pectine
plectrum

Vis emptitare, & spongiam?

Tale nihil spiras. insana choragia mundi

Fastidiosa despis.

Te nouus ardor edit: sagi canis instar, odoras

Venaris auras vndevis;

Arabicaſq̃ue ſagax paſſim rimare tabernas,

Et officinas Indicas.

Quid tantum fatagis rerum, & fora cuncta per-
erras,

Par mobili trocho & rotæ?

Institor ecce sedet bene-olens, bene-olente ta-
bernâ,

Indiſq̃ue inerrat mercibus.

Haud vlli vberiore ſeges fluit Inda paratu,

Manuſve manat largior.

Heus tu! non audis? ſurdas Amor adſtrepit aures,

Prenſans laciniâ ſtolam;

Inclamatq̃; frequens: En raro è germine myrrha,

Nardus, crocuſq̃ue, & cinnamum.

Quis fiet hic rogitas? Amor ille venuſtus I E S V

Alumnus, & Diuûm decus.

Hic caſia, hic coſtus, crocus hic, & puber amomû,

Hic cinnamomum, & baſſamum.

Et quot Amor tibi verba ſerit fragrante labello,

Tot crede fundi aromata.

Sar

Sat scio te Sponsus pulcherrimus vrit, & vrit
 Cor faucium grauis pudor.
 Quid tibi vis? edic. Amor indicat, esse fidelem
 Nardum; an liceris nardinum?
 Sic est: quo pretio? Totū cedò Magdali mundum,
 Si nundinari mens fiet.
 Turbida num palles? totū das prodiga mundum,
 Venale nardi in præmium;
 Commutatque chelyn, pepla, pleetra, monilia,
 torques,
 Cum nardinâ spicâ, & croco.
 Sic iam dotis inops, comptu sine, & indiga cultus,
 Nudo vagaris vertice;
 Non retinens pictis Sicyonia dædala plantis
 Obstragulo sub aureo,
 Nec tereti vittâ gemmantes vincita capillos,
 Nec torque amœna gemmeo.
 Et vaga sicut eras, sine torque, peplôve vel ostro,
 Præceptis Dei innolas torum:
 Nec nisi cinnameos apportas nuda liquores,
 Queis perpluas Dei caput.
 Credo, pio cum læta croco sic vngis amantem,
 Fragrans in vnguen verteris.
 Nōne tibi cerâ cor mollius ardet, & omni
 Nardo suavius liquet?
 Castus odoratos certè tibi fletus in imbres
 Distillat orbe in vitreo.
 Quotquot enim sacer haurit Amor, funditque
 liquores,
 Succis odoris imbuit.

Semi-